ex alio fonte promanabat, quam ex imaginativa illa Messiae, in has vitales auras editi, acquisitione, quam vox Ebraea קָנָה, de Hypostaticae sapientiae per activam DEi Patris generationem possessione usurpata, denotat. Verum v. desunt, hanc in rem quae faciant, pia piorum Patrum desideria. Desideria, inquam, non desunt quibus Messiae Adventum expectarunt, utque oculis corporalibus eum usurparent, omnibus votis expetiverunt. Quid? Nonne Pater Credentium, Abrahamque, ipso Salvatore nostro, apud Caelestem Aquilam, D. Johannem, id referente, miris modis exultabat: quum diem Messiae visurus esset! Vidit illum, inquit Salvator, et gavisus est. Nonne Jacob Patriarcha salutem Domini anxie expectabat? Expecto, inquiebat, salutem tuam, Domine. Nonne ipse DEi Cancellarius, Moyses, Messiae Adventum desiderabat. Mitte, Domine, ajebat, quem missurus es. Nonne et Regius Psalmista, David, salutare Israel suspirabat? Quis dabit, inquiebat, ex Sion salutare Israel? Nonne denique Esaias, o si dirumperes Caelum, et descenderes, optabat. Optabat et ille alibi: ut rorarent Caeli, et nubes depluerent justitiam. O Messiae igitur Adventum longe desideratissimum! O Adventum, votis omnibus a tot Patriarchis, a tot Prophetis, a tot Regibus expetitum! Dies utique me deficeret, imo vox et lux citius me destitueret, quam Patrum voces: quibus se Messiam, securitatis suae asylum, spei et votorum portum, anxie expectare, testati sunt.

At v. dum in desideriis Patrum ac suspiriis eorundem haereo, atque ab illis pene obrutus, exclamo, Adventus Messiae interim, qui in hunc mundum natus ac datus olim, se efferendum laudibus sistit ut Adventum decantatissimum. O quam copiosa hic oratione opus foret: si omnia Vaticinia enarratione sequi vellem, quae de Messiano in carnem Adventu agunt! O quam amplus dicendi campus se mihi aperiret: si omnes Typos excutere vellem, quibus idem Adventus adumbratus habetur! Ego certe me imparem cum typis tum Vaticiniis omnibus ac singulis proferendis sentio, qui per amoenissima SPIRITUS S. prata hinc inde sparsa leguntur, vereorque: ne res haec longe copiosissima aeque, ac praestantissima sermonis mei tenuitate atque inopia imminuatur: utpote cui pro dignitate enarrandae, nec diserta orationis effigie politus Basilius, nec sententiarum acumine pungens Nazianzenus, neque aureo verborum flumine exundans Chrysostomus, neque omnes eloquentiae numeros exhauriens Hieronymus, nec artificio dicendi famigeratissimus Ecclesiae Doctor, Hipponensis, nec gravi sermonis armatura incedens (instructus) Ambrosius, nec admirandis persuasionum modis celeberrimus Bernardus, nec denique sacra facundia incomparabilis Megalander noster, Lutherus, sufficerent. — II. decantatissimus.